



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 271. Per quam materiam, & formam conferatur diaconatus in ecclesia latina, & græca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

de verba, *ungatur, & consecratur &c.* Probatur antecedens: non confertur potestas adæquata, neque partialis; ergo nulla. Probatur antecedens: per formam, quæ non magis significat collationem potestatis episcopalis, quam alterius, ex gr. sacerdotalis, vel diaconalis, non confertur adæquata potestas episcopalis; sed illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, non magis significant collationem potestatis episcopalis, quam sacerdotalis, vel diaconalis, ideoque dicuntur etiam in ordinatione sacerdotum, ac diaconorum; ergo &c. Probatur secunda pars, quod neque conferatur potestas partialis. Primo enim non potest explicari, quanam sint duæ potestates episcopales, quarum una conferatur per impositionem manuum, alia per vñtionem. Secundo impositio manuum cum illis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum*, non significat magis vnam potestatem, quam aliam; ergo non potius conferunt vnam potestatem, quam aliam; ergo cum per illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, utpote indeterminata, nulla conferatur potestas, tota potestas episcopalis conferatur per vñtionem, & illa verba, *Ungatur &c.* ideoque Anacletus Papa epistola secunda dicit: *Omnis sanctificatio conferitur in Spiritu Sancto, cuius virtus inuisibilis sacro chrismati est permixta, clarè significans, quod Spiritus Sanctus sanctificans conferatur per vñtionem, tanquam per materiam.*

5. Opponi potest: si per impositionem manuum, & per illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, non conferretur vlla potestas, neque conferretur gratia, ac Spiritus Sanctus: siquidem in ordinatione Spiritus Sanctus conferatur simul cum potestate; ergo tres episcopi frustra dicerent, *Accipe Spiritum Sanctum*, quod repugnat Tridentino, sess. 23. can. 4.

Respondeo Tridentinum ex eo, quod episcopus non frustra dicat, *Accipe Spiritum Sanctum*, inferre, quod in sacra ordinatione datur Spiritus Sanctus, non autem inferre, quod detur per hæc ipsa verba, tanquam per formam; ergo licet ex ijs verbis, *Accipe Spiritum Sanctum*, inferatur, quod in ordinatione episcoporum datur Spiritus Sanctus, non inferatur, quod datur per hæc verba, tanquam per formam. Verba igitur illa, *Accipe Spiritum Sanctum*, significant, *accipe Spiritum Sanctum, qui tibi datur in hac sacra ordinatione*, adeoque ut non dicantur frustra, sufficit, quod Spiritus Sanctus detur in ordinatione, non est necessarium, ut detur per illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, tanquam per formam.

6. Apud Græcos Episcopus celebrans imponit manum simul cum pallio super caput ordinati, ac dicit, *Divina gratia, que semper infirma sanat, & imperfecta perficit, promonet te Deo amabilissimum presbyterum in episcopum à Deo custodita civitatis N. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus.* Materia igitur est impositio manus cum pallio super caput ordinati; forma sunt illa verba, &

Divina gratia &c. Hinc confirmatur nostra sententia, quod Latini per vñtionem, & illa verba, *Ungatur &c.* conferant totam potestatem episcopalem. Nam non minus vñtio cum illis verbis, *ungatur &c.* significant collationem totius potestatis, quam impositio manuum cum forma Græcorum significet collationem totius potestatis: sed Græci per impositionem manuum, & suam formam conferunt adæquatè totam potestatem; ergo etiam Latini per vñtionem, & per formam, quam proferunt, conferunt adæquatè totam potestatem.

7. Inferitur, quod neque vñtio, qua vtuntur Latini, neque impositio pallij super caput ordinati, qua vtuntur Græci, est materia determinatè essentialis in ordinatione episcoporum. Si enim vñtio esset materia essentialis, sequeretur, quod Græci, qui non vtuntur vñtione, inualidè ordinarent; & si impositio pallij esset materia essentialis, sequeretur, quod Latini, qui non imponunt pallium, inualidè ordinarent. Materia ergo essentialis est, in qua conveniunt Græci, & Latini, & qua semper vsæ sunt omnes ecclesiæ orientales, & occidentales; sed omnes ecclesiæ tum occidentales, tum orientales semper vsæ sunt impositione, vel porrectione manuum; ergo sola impositio, vel porrectio manuum est materia essentialis à Christo instituta, ut determinatè necessaria ad conferendum ordinem episcopalem.

QVAESTIO CCLXXI.

Per quam materiam, & formam conferatur diaconatus in ecclesia latina, & græca?

1. IN ecclesia latina in ordinatione diaconi duæ sunt præcipuæ ceremoniæ. Prima est: episcopus imponit ei, qui ordinatur, manus, ac dicit: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus eius.* Secunda est: episcopus tradit ei, qui ordinatur, librum Evangeliorum, ac dicit, *Accipe potestatem legendi evangelium in ecclesia Dei.*

2. Tres igitur sunt hæc præcipuæ opiniones. Prima Durandi in 4, quæst. 3. num. 7, & 8. docet diaconatum adæquatè conferri per impositionem manuum, & illa verba, *accipe Spiritum Sanctum &c.* adeoque traditionem libri evangeliorum, & verba, *accipe potestatem &c.* non spectare ad materiam, & formam essentialem, sed esse ceremoniam merè accidentalem.

Secunda sententia Hosij, & aliorum, docet diaconatum conferri per duas materias, & formas partiales, nimirum per impositionem manuum, & illa verba, *accipe Spiritum Sanctum*, & per traditionem libri evangeliorum, & illa verba, *accipe potestatem.*

Tertia, quam ut communem refert, & sequitur Vasquez disp. 136. cap. 4. docet dia-

conatum adæquatè conferri per traditionem libri euangeliorum, tanquam per totalem materiam, & per illa verba, *accipe potestatem &c.* tanquam per totalem formam, adeoque impositionem manuum, & verba illa, *accipe Spiritum Sanctum*, spectare ad ceremoniam merè accidentalem. Refert Vasquez pro hac opinione S. Thomam in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 3. Richardum, Maiorem, Paludanum, Dominicum Sotum, & alios.

3. Dicendum: probabilius est diaconatum in ecclesia latina conferri per porrectionem libri euangeliorum, tanquam per adæquatam materiam, & per illa verba, *accipe potestatem legendi euangelium in ecclesia Dei*, tanquam per adæquatam formam, adeoque impositionem manuum, & verba illa, *accipe Spiritum Sanctum &c.* esse ceremonias merè accidentales. Probatur, & primo quod diaconatus saltem partialiter conferatur per traditionem libri euangeliorum, probatur. Eugenius enim quartus in decreto vniõis edito in Concilio Florentino post vltimam sessionem dicit, diaconatum conferri per traditionem libri euangeliorum; ergo diaconatus saltem partialiter confertur per traditionem libri euangeliorum, idque Vasquez cenfet ita certum, vt sine nota temeritatis, ac erroris negari nequeat.

4. Secundo probatur, quod diaconatus conferatur per traditionem libri euangeliorum, tanquam per adæquatam materiam, & verba illa, *accipe potestatem*, tanquam per adæquatam formam. Diaconatus neque totaliter, neque partialiter confertur per impositionem manuum, & verba illa, *accipe Spiritum Sanctum*; ergo totaliter confertur per traditionem libri euangeliorum, & illa verba, *accipe potestatem &c.* Probatur prima pars antecedentis. Diaconatus non confertur adæquatè per materiam, & formam, quæ non magis significant collationem potestatis diaconalis, quàm presbyteralis; sed impositio manuum, & illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur &c.* non magis significant collationem potestatis diaconalis, quàm presbyteralis; ergo &c. Probatur secunda pars, Diaconatus non confertur partialiter per materiam, & formam, quæ non magis significant collationem vnius, quàm alterius potestatis; sed impositio manuum, & illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum* non magis significant collationem vnius, quàm alterius potestatis; ergo &c. Hinc sequitur, quod episcopus dum imponit manus, ac dicit, *Accipe Spiritum Sanctum*, significat, quod dat Spiritum Sanctum per ordinationem, quæ est moraliter præsens, non autem significat, quod dat Spiritum Sanctum per impositionem manuum, quam tunc exercet, tanquam per materiam, & per verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, tanquam per formam, sicut in simili diximus agentes de ordinatione episcopi, quælt. 270. nu. 5.

5. Dices: forma adæquata diaconatus debet significare collationem totius, vel saltem præcipuæ potestatis; sed forma illa, *Accipe potestatem legendi euangelium in ecclesia Dei*, significat solum collationem potestatis legendi euangelium, quæ potestas non est diaconorum præcipua, siquidem principalior est potestas dispensandi corpus, & sanguinem Christi; ergo &c.

Respondeo, distingo maiorem: forma adæquata debet explicare præcipuam potestatem, quæ conuenit primo, & per se, concedo; quæ conuenit non primo, & per se, sed ex commissione alterius, cui conuenit primo, & per se, nego: distingo eodem pacto maiorem; & nego consequentiam. Licet potestas dispensandi corpus, & sanguinem Christi sit principalior, tamen primo, & per se non conuenit diacono, sed sacerdoti; diacono autem conuenit solum ex commissione sacerdotis, vel in defectum sacerdotis; at potestas legendi euangelium conuenit diacono primo, & per se, ideoque est præcipua potestas primo, & per se conueniens diacono, ac proinde explicanda per formam.

6. Græcus episcopus imponit manus ei, qui ordinatur, & dicit: *Diuina gratia, qua semper infirma curat, & imperfecta perficit, promouet te ex subdiacono in diaconum. Oremus igitur pro ipso, vt veniat super eum gratia sanctissimi spiritus.* Impositio igitur manuum est materia; verba relata continent formam.

7. Inferitur solam porrectionem manuum fuisse institutam à Christo, vt determinatè necessariam. Probatur: nam illa est materia à Christo instituta, tanquam determinatè necessaria, in qua ab initio conuenerunt omnes ecclesie occidentales, & orientales; sed omnes ecclesie conuenerunt in hoc, vt episcopus porrigeret manus in signum, quod dat potestatem; ergo porrectio manuum est materia instituta à Christo, tanquam determinatè necessaria. Traditio libri euangeliorum, in quantum addit aliquid supra porrectionem manuum, non est materia determinatè necessaria, quia ea non vtuntur græci; & ex proportionali ratione impositio manuum, in quantum addit aliquid supra porrectionem, non est materia determinatè necessaria, quia ea non vtuntur latini. Confirmatur: nam primi diaconi fuerunt ab apostolis ordinati per solam impositionem, seu porrectionem manuum, siquidem eo tempore adhuc non erat scriptus liber euangeliorum; ergo traditio libri euangeliorum, in quantum addit aliquid supra porrectionem manuum, non est materia determinatè necessaria.